

iis, in quorum potestate sunt, mandemus, quo intra semestre tempus eos provocandos current. Si secus fecerint, non ipsi minus, quam liberi, eorum poena capitum, proscriptionis et privationis bonorum omnium efficiendiⁿ. De libris quoque Lutheranis scripsimus ad illos et mandamus, ut prohiberent eos importari aut legi a quoquiam. Locique ordinario eorum nomina deferent, qui contra edictum hoc nostrum fecissent, ut iis meritas de eis poenas sumendas curaret. Proinde hac quoque in re advigilabit paternitas vestra et diligenter inquiret, si qui sunt libri huiusmodi, curabitque, ut edictum hoc nostrum executioni mandetur, factura paternitas pro fide sua proque gratia nostra. Datum Cracoviae, feria sexta ante Conductum Paschae, anno ^oDomini M^oD^oXL^o [2 IV 1540], regni vero nostri anno XXXIII^o. Ex commissione ^pMaiestatis Regiae^p propria.

IX. LITTERAE DE HOMICIDIIS^a

Sigismundus etc. Magnifice, sincere nobis dilecte. In comitiis Cracoviensibus proxime transactis¹ nuntiis terrarum visum est, ut delatio ad nos homicidarum abrogaretur, processusque institueretur contra illos, iuxta dispositionem statuti per serenissimum olim dominum Ioannem Albertum regem Poloniae fratrem nostrum charissimum editi, quo cautum est, ut homicida iure convictus turri mancipetur². Quare sinceritati tuae serio praecipimus, ut homicidas ipsos, quam primum de crimine eiusdem convicti fuerint, ad carceris poenam statuto praescriptam citet ac in profundum turris illos mancipandis curet, reque ipsa irremissibiliter mancipetur. Neque in hoc nullum favorem aut poenae elevationem illis faciat, sed tamdiu eosdem in turri teneat, donec tempus sessioni statutum expelleatur. Quod si quempiam partes concordiam inter se inierint resque inter illas compositione et non iure fuerit transacta, sinceritas tua nihilominus pro poena nostra contra homicidas huiusmodi agat et statutum praefatum contra illos omnino exequendum curet, concordia aut compositione aliqua partium inter se non obstante. Id quod a sinceritate tua summo studio summaque diligentia fieri volumus, non solum sub poena contra negligentes capitaneos iuribus nostris sancta, verum etiam pro iure iurando per illam nobis praestito et gravi^b indignatione nostra. Datum Cracoviae, feria tertia post dominicam Conductus Paschae, anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo [6 IV 1540], regni nostri anno trigesimo quarto. Ad mandatum Regiae Maiestatis proprium.

ⁿ afficiendi MK₂, ^{o-o} quo supra MK₂, ^{p-p} sacrae regiae maiestatis MK₂.

^a W MK₂ figuruje tylko adres: Capitaneis. ^b W MK₁ mylnie: gratiam.

¹ Por. wyżej, nr XLVIII, I, pkt 12 — sejm walny krakowski 1539 r.: De homicidiis, tekst i przypis 6.
² Por. wyżej, nr II, pkt 75 — sejm piotrkowski 1496 r.: De homicidio et capite nobilium solvendis.